



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 483. Usque Ad Annum 561.

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1759**

**VD18 90117824**

§. 57. Episcopi Africæ ab exilio revocantur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66066](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66066)

tia acceperunt. Huic S. Fulgentius nomine omnium respondit edito Tractatu ejusdem tituli, ubi quindecim Episcoporum Nomina conspiciuntur. In eo Tractatu S. Fulgentius Monachorum Scytharum Fidem approbat, verumtamen dicit, unam Personam de Trinitate id est Iesum Christum natum esse ex Virgine. Quod dici debere Monachi non conce-  
debant, nam affirmabant, simpliciter di-  
cendum esse: *Unus ex Trinitate, non c. 10. c. 18.*  
*autem, una Persona.* Secunda Tractatus Parte de Gratia agit contra Semipelagianos id est contra Faustum Reensem, quem Monachi acriter impugnabant. Conjecturæ locus est, Monachos hosce duos ipsius Libros Constantinopoli ad S. Fulgentium transmisisse. Respondit editis septem libris, qui ad nos non per-  
venerunt, in quibus magis adnitezatur Doctrinam Catholicam explicare, quam Faustum convincere.

A.C. 523.

Ep. 17.

c. 12. c. 13. &amp;c

c. 28.

## §. LVII.

*Episcopi Africæ ab Exilio re-  
vocantur.*

Sanctus Fulgentius absoluto hoc labore etiam Exilii sui finem vidit, quippe Rex Trajanus 28. Maji, anno 523. Maximo Consule, e vivis abiit, postquam annis 27. regnasset. Successorem ha-

Bb 2

buic

Sæculum VI. buit Hildericum Filium Hunerici & Eu-  
 A.C 523. dociæ Imperatoris Valentiniani Filii,  
 quam Gensericus expilata Roma abdu-  
*Vicf. Tun.* xerat. Trasamundus ab Hilderico ju-  
*Chr. Noris.* ramentum exegerat, quamdiu regnaret,  
*hist. Pet. II.* non permisurum, ut Ecclesiæ Catholi-  
*c. 21.* corum aperirentur, aut ipsis Privilegia  
 redderentur. Hildericus a perjurio li-  
 berum se fore putavit, si id ipsum fieri  
 juberet, priusquam Regnum auspicare-  
 tur, id est, verisimiliter priusquam Tra-  
 samundus decessisset. Itaque ubi Re-  
 gnum capessivit, Episcopos Catholicos  
 revocavit, & aperiri jussit Ecclesias; at  
 Religionem Catholicam non professus  
 est. Adeo facilis huic Principis Indoles-  
 erat, ut desidiæ accusari posset. Regna-  
 vit annis septem, & tribus Mensibus.  
 Reddita Ecclesiæ Africanæ Libertate, u-  
 bique Episcopos ordinari permisit. Car-  
 thagine electus est Eugenius vir eximiæ  
 Doctrinæ. Ita in Africa liberum Reli-  
 gionis Catholicæ Exercitium reductum,  
 ab annis sexaginta sex, ex quo Persecu-  
 tio regnante Genserico anno 457. co-  
 pta, interruptum.

*vit. S. Fulg.*  
*c. 28.*

Episcopos Exules Carthaginem re-  
 vertentes Populus tanquam IEsu Chri-  
 sti Confessores exceptit; at S. Fulgentio  
 plus honoris exhibebatur, quem certa-  
 mina

*c. 29.*

mina cum Hæreticis inita, cum ipsum Sæculum VI.  
Trasamundus vocasset, ceteris magis ce- A.C. 523.  
lebrem reddiderant. Expectans in lit-  
tore populus navem, unde demitteba-  
tur, observabat, utque apparuit vultus  
eius, ortus est jucundissimus clamor, &  
in Dei laudes diversarum Nationum lin-  
guæ solutæ sunt. Ubi Episcopi terram  
contigerunt, ad Ecclesiam S. Agilei pro-  
cedere cœperunt, circumfusa ingenti  
populi partim præcedentis, partim se-  
quentis multitudine, & quia præ ceteris  
concurrentium impetu S. Fulgentius pul-  
fabatur, nam quisque prior a S. Viro be-  
nedici gestiebat, viri aliqui prudentes  
suis corporibus ipsum texerunt, ne ni-  
mio calore oppimeretur, & incedenti  
via daretur. Decidente magno imbre  
tamen non est dilapsus populus, sed cum  
S. Fulgentius nudo capite incederet, no-  
bilissimi genere Casulas suas id est pallia  
super eum extenderunt. Postquam Car-  
thagine amicos suos invisiisset, Ruspam  
urbem suam se contulit, quo in itinere  
admodum longo populi venienti obviam  
procedebant, lucernas, faces, arborum  
ramos portantes, agentesque Deo Gra-  
tias.

Primum opus, quod S. Fulgentius  
post redditum suum scripsit, fuere tres Li-  
bri de Prædestinatione & Gratia, ad Jo-  
Bb 3 annem

p. 434.

Sæculum VI. annem Presbyterum, quem Maxentium  
A. C. 523. esse credunt, & Venerium Diaconum  
ap. Fulg. ep. directi. Episcopi duodecim ex illis, qui  
15. to. 4. in Sardinia exulaverant, & Responsum  
Conc. p. 1591 ad Petrum Diaconum dederant, alteram  
scriperunt Epistolam de Gratia & Libe-  
ro Arbitrio ad Joannem & Venerium  
directam, ut Epistolæ, quam ab ipsis ac-  
ceperant, responderent. Tandem sub  
finem ipsos exhortantur, ut illos, qui  
contrarias opiniones defendebant, do-  
cerent, librosque S. Augustini ad Prospe-  
rum, & Hilarium prælegerent.

## §. LVIII.

*Hormisdæ obitus. Joannes I.  
Papa.*

**H**ormisdas Papa eodem anno JESU  
Christi 523. Maximo Consule sexta  
Aug. Pontificatus sui anno nono obiit. (\*)  
Ipso

---

(\*) Nuncium ex Italia assertur, Sanctissimum  
Patrem nostrum Benedictum XIV. in Domino  
obiisse 3. Maji hujus anni 1758.

Hujus Sanctissimi Papæ Rex Franciæ Lud. XV.  
in Epistola ad Cardinales in Conclavi congre-  
gatos 16. Maji data meminit in hunc modum:  
*Magnus hic Papa atque sapientissimus maxi-  
misque Doctroribus, qui unquam S. Petri Ca-  
thedram*